10.B/13-003

Illustris & Clarissime Domine!

Magnum gaudium mihi crearunt humanissimae Tuae litterae, Viennâ ad me datae, testes enim sunt restitutae valetudinis Tuae, quam gravius affectam ab aura boreali fuisse, certis iam antea nunciis accepi. Servet eam Tibi Deus integram, Te autem scientiae nostrae vegetum quam diutissime! Doleo, quod Te heic salutandi copiam non habuerim; spero tamen, quod differtur, non auferri.

Memorasti mihi nuper Viennae agenti, quod desideres videre Nasturtium proliferum Heuff. Unicum plantae huius exemplar habeo, quod Tibi submissurus sum orans ut illud captô usu iterum mihi remittas.

Alteri Tuo desiderio litteris expresso deferre, proh dolor! non possum. Intelligo plantas, quas postulasti, dalmaticas. Ratio sequens est:

Herbarium meum plurimis aliisque constabat collectionibus, quae nunc omnes in unam magnam conflatae sunt, quin tamen ob continuam ferme absentiam meam e loco residentiae debite in ordinem redigi potuerint. Certae igitur ditionis, vel certi herbarii plantas e vastissima collectione deligere, res nunc adhuc ingentis laboris foret, quem ego ipse facere non possem, quum legislativi et pastorales labores me fere semper Colocâ procul distare cogant. Domi autem neminem

habeo labori tali perficiendo parem.
Nec ſcio, quando domum revertar.
Nam nunc Peſtini qua legislatio-
nis pars etſi minima, una tamen,
ago. Circa decimam Julii cum dele-
gatis aliis 59. Viennam ibo, ut
ibi cum delegatione Auſtriaca tra-
ctemus negotia communia germano-
ſlavicarum provinciarum cum regno
noſtro. Finitis laboribus his thermas
petere debeo. Satis tarde quidem. In-
de redux iterum legislationis curae
me occupabunt. Et ſi etiam Colocam
concedere potuero, hoc ad ſummum
pro 10 — 14 diebus faciam, qui
domeſticis curis dicari debent et
dioeceſanis.

Unicum igitur medium est voto Tuo satisfaciendi. Indica mihi nominetenus principales, queis indiges, plantas: has, quamprimum potuero, exquiram et Tibi pro usu scientifico mittam.

Interea etiam fausta quaeque Tibi a Domino precatus, meque favoribus Tuis devovens, singulari cum aestimio persisto

Illustris et Clarissime Domine

Pestini, 24/6, 1869.

humillimus Tuus servus
Dr. Ludovicus Haynald
Archiepiscopus Colocensis.